



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Benevole Lector

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

BENEVOLE LECTOR

Non immeritò Aristoteles suæ ætatis Iurisprudentes reprehendit, quòd de formulis, quæ actiones priuatas respiciunt, ad nauseam vsque disputarent; Iura verò quæ administrationem Reip. penè haberent pro derelictis. multi hodie ab eo vitio non pròcul absint; ætatem in stillicidijs & seruitutibus terunt; publicas res, publica Iura, quibus ciuitates suæ, & provincie consistunt, ita nec attingunt ipsi, ut & in alijs contemnant. malè de Repub. merentur. Nulla, inquit Plin. Iun. in epist. laudabilior Philosophiæ pars est, quàm agere negocium publicum: cognoscere, iudicare, promerere, & exercere iustitiam, quæque Philosophi doceant, in vsu habere. Habent, inquit idem, l. 3. ep. 20. nostra quoque studia aliquid non humile, nec sordidum, nec priuatis rebus inclusum. nam disputare, inquit Cic. ad Att. l. 4. ep. 16. de Republica, est tractare rem magnam, & grauem, & plurimi otij. Quæ ratio etsi me ad dolum meum Cynici instar circumuoluendum restringeret, memorem illius Lyrici,

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus;

adeoque versantem, humeri quid ferre recusent, ac gnarum rem
tam grauem alijs deferendam;

— quibus arte benigna,

Vel meliore luto finxit præcordia Titan:

tamen si Aristoteli, Scyllam vitare monenti, obtemperaturus, Iudicemq;
exhibiturus incidi in Charybdin; dabit veniam quisquis aliquid rectius
istis candidus impertietur. nam desidiosos, & nihil præstantes Zoilos
iam pridem nihil moror. Tibi, Lector, tantum scripsi, qui beneuolus es,
tibi si placuerim, satis mihi fecerim: sin minus; affectum tamen si boni
consulueris, numquam piguerit laboris.

Iudicem, inquam ergo, sum exhibiturus. Neque illum duntaxat Pedaneum, chartisque solum litigantium obuolutum, sed & Potestate præditum, Magistratuiq; impositum. qualem leges nostræ intelligunt; dum Iudicem nominant; & Iustinianus in Auth. de Iudicib. & Codicis lib. 1. tit. 29. & seq. vsque ad 56. Dedi tamen aliquid vsui vocis hodierno, & adiunxi Magistratus nomina, & Senatoris. dum sub illius ferè vocabulo politiam hodie videmus administrari; ad hunc de negocijs, autocratia, & arcanis Imperij deferri consultationes. ut dum presentibus etiam vtor verbis, eum in ipso frontispicio Iudicem, quem intendo, designem.

IN-